



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

34. Esau in ceruum eiaculatus huius dominium acquirit, si ita eum tetigit, vt moraliter illius manum effugere non posset: secus ad Ismaelem pertinet, qui postea eundem cepit: in dubio iuxta ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

cum altera pars impleuerit, altera quoque ex iustitia implere tenetur.

XXXIV. Esau venator nuper eiaculando in ceruum tetigit quidem istum, non tamen ita, ut ex ictu statim concideret, sed ulterius progressus post alterum ictum, quem ab Ismaele accepit, primum mortuus procubuit. Queritur. Cuiusnam horum sit ceruus, cum praesertim dubium sit, num post ictum ab Esau acceptum effugere potuerit?

Videtur esse Ismaelis. Ita habetur §. illud *quæsitum*. *Instit. de rerum diuisione*. Et *l. naturallem ff. de acquirendo rerum dominio*.

Resp. 1. Ad Esau pertinere ceruum, si iste lethali ictu ita ceruum tetigit, ut moraliter eius persequentis manum effugere non posset, Ita ex communi Dicastillo *Tr. 2. de iustit. D. 9. n. 330*. Ratio est, quia ad acquirendum feræ dominium requiritur, ut apprehendatur, & quidem tali apprehensione, quâ censeatur amittere naturalem suam libertatem. Atqui Esau ceruum lethaliter vulnerans ut manum suam effugere non posset, sic eum apprehendit per globum à se emissum & vulnus lethale eidem inflictum, quod sufficit, cum non requiratur, ut apprehensio per manum immediatè fiat. Ergo &c. Confirmatur ex *l. in laqueum ff. de acquirendo dominio*, ubi dicitur, *feram fieri meam, si in meam venerit potestatem*. Sed ceruus sic lethaliter vulneratus, ut effugere non posset, venit in potestatem Esau. Ergo &c.

Resp.

Resp. 2. Ceruum ad Ismaëlem pertinere, si ita leuiter ab Esau fuit tactus, vt capti ab ipso non posset. Ita cit. Author, qui rectè ait §. *illud quæsitum. & l. naturalem. cit.* ex communi Authorum in hunc sensum intelligi. Ratio est, quia Esau suo ictu non ita apprehendit ceruum, vt iste suam naturalem libertatem amisisse censeretur, sed hanc libertatem primum Ismaël altero ictu abstulit, & ceruum in suam redegit potestatem. Ergo &c. Resp. 3. Si dubium sit, num ceruus primo ictu ab Esau tactus euadere potuerit, tutius quidem esse, quod scit Laym. *l. 3. Tr. 1. c. 5 num. 12.* vt inter vtrumque iuxta proportionem dubij diuidatur, sed fortè non necessarium; nam si dubium inde oriatur, quod vulnerator difficulter ceruum capturus fuerit, censebitur ceruus retinuisse naturalem libertatem suam. *l. naturalem. cit.* adeòq; pertinere non ad Esau vulnerantem, sed ad Ismaëlem primò occupantem, vt rectè Dicastillo *loc. cit. n. 331.* Atque sic patet etiam ad rationem in contrarium.

XXXV. *Eudoxia ob grauissimum malum, quod leui mendacio sibi alijsque peperit, iuramento promittit DEO, nullum deinceps mendacium cuiuscunque rei causâ se facturam, quod rescians maritus eius Theodosius, ne Eudoxia nimis inde anxia reddatur, votum illud ac iuramentum irritat, nullumque declarat. Queritur. An hoc potuerit?*

Videtur non potuisse. Ita Nauarr, Azor,

Hh 4

Suarez,